

De Enunciationib. Exponibilibus. 341  
rum comparatur, ut id, in quò instituitur  
comparatio vel in uno tantum termino sit  
vel in neutro, e. g. *creatura est imperfectior  
creatore* h. e. *imperfectio*, ratione cuius insti-  
tuitur comparatio, est in uno tantum ter-  
mino, nempe *creatura*, *fornicatio melior  
est adulterio*, hic bonitas, in qua, si verba  
spectamus, instituitur comparatio, in neu-  
tro est, nec in fornicatione nec in adulterio.

49. Si comparativa improp. est prioris  
generis, exponi solet per copulativam dua-  
bus propositionibus constantem, quarum  
altera id, in quò instituebatur comparatio,  
de alterò negat, e. g. hæc: *Creatura est im-  
perfectior Deo*, exponi solet h. m. & *crea-  
tura est imperfecta & Deus non est imper-  
fectus*. Si verò id, in quò instituitur com-  
paratio, in neutro eorum, quæ comparan-  
tur, est, expositio fit per copulativam tribus  
affirmantibus constantem, e. g. hæc: *for-  
nicatio est melior adulterio*, exponitur h.  
m. *Et fornicatio est mala, & adulterium  
est malum, & adulterium in malitia supe-  
rat fornicationem*, De iis, quæ hic  
addi possent, alibi.